



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

XIV. Iohannem, & Acta Apostolorum;

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A nentur. Interpretem sese professus est Hieronymus in Prologo ipsis prae-texto, & in libro De scriptor. Eccles. cap. 146. Erasmus in Epistola ad Franciscum Cigalinum scripserat has alterius cuiusdam esse videri, quam Origenis, sed in Censura ad libros Origenis mutavit sententiam, & verum Auctorem agnovit. Nihilominus ita disserit: *In Catalogo tamen ita facit huius operis mentionem (Hieronymus) ut magis videatur ex Didymo veris esse. Quum enim Origenis mentionem reliquisset, post hunc in modum loquitur: De Spiritu sancto Didymi, quem in Latinum transiit, librum unum, in Lucam Homilias triginta novem, in Psalmos à decimo usque ad decimum sextum tractatus septem, Captivi monachi vitam, &c. Quibus ex verbis nihil aliud intelligi potest, quam aut esse Hieronymi hoc opus, aut ab eo versum ex Didymo. Hoc utrum casu an studio factum sit, nescio.* At observasset Erasmus pari argumento Homiliarum duarum in Canticum auctorem revocari posse in dubium, cum in eodem Catalogi capite hæc habeat Hieronymus: *De tribus questionibus Legis Veteris, Homilias in Cantica Cantatorum duas, adversus Helvidium.* Nempe Auctoris nomen adscribere neglexit, quem aliunde satis notum esse sciebat. Addit Erasmus: *Dein quum in ceteris nihil habeatur erroris, hic multa sunt vel suspecta vel damnata.* Itane vero? nihilne in libris *de* *apost.* in Commentariis in Matthæum, in reliquis operibus habetur erroris? Mirare Lector effraem Erasmus in Veterum expendendis scriptis, & projectam temeritatem. Modestior Merlinus, errores his Homiliis ab Origeniani nominis æmulis asperfos asseverans: quamquam & id valde incertum. Pauucas quasdam particulas ex Origene in Lucam exhibet Iulius Cæsar Bulengerus Part. 2. Diatrib. 3. p. 158. & 222. adversus Casaubonum, ex Catenis fortasse aliquibus depromptas.

C XIV. E duobus & triginta Commentariorum in Iohannem Tomis, novem omnino supersunt; primus, secundus, sextus, decimus, decimus tertius, decimus nonus, vigesimus, vigesimus octavus, & trigessimus secundus. In Bibliotheca Regiæ Codice hi Tomi suis notati numeris reperiuntur. Eisdem complectitur Tomos præter decimum, & vigesimum octavum memoratus liber in Bibliotheca Bavarica Catalogo. At Codex Bibliothecæ Venetæ sancti Marci, licet Regij consimilis sit, nec plura habeat, à callido tamen librario in Tomos triginta duos distributus fuit, hæc arte lacunas & hiatus eclare, & apud incautos dissimulare, & pro integro venditare volente. Eo fit, ut eundem hunc esse putem, qui fuit Diegi Hurtadi, quique simili dolo dissectus fuisse memoratur. Hanc Tomorum partitionem, quam secutus est Ferrarius, falsam esse arguunt fragmenta, quæ è quarto Tomo proferuntur in quarto Philocaliæ capite, & in quinto reperiuntur Tomo Ferrarianæ Interpretationis. Similiter è sexto Tomo particulam recitat Basilius libr. de Spiritu sancto, c. 29. Extat illa in sexto Tomo Codicis Regij, in octavo vero Ferrarianæ interpretationis. Codicum porro omnium ea est similitudo inter se & congruentia, ut ex uno exemplari descriptos esse omnes pro certo habeam. Præter superiora exiguam è Tomo secundo in Iohannem particulam promit Pamphilus in Apologetico, secundam criminacionem consutat. Capite quarto Philocaliæ fragmenta adducuntur è quarto Tomo; item capite sequenti alia fragmenta è Præfatione quinti Tomi in idem Evangelium; cuius Præfationis aliam quoque portionem in caput 25. libri sexti Historiæ Eusebius inserit. Ex Origene in Iohannis caput sextum laciniæ quasdam exiles profert Bulengerus in Disputationibus contra Casaubonum Part. 2. Diatrib. 3. pag. 251. quas cum Codices manu scripti Commentariorum in id Evangelium non exhibeant, ex Catenis prodixisse veri absumile non est. Denique inter Homilias In diversos duæ habentur in Iohannem, quæ cum certum auctorem non habeant, paulopost suo loco ventilabuntur.

Vnicum superest in Apostolorum Acta fragmentum Origenis, è quarta detractum Homilia, quod capiti Philocaliæ septimo Basilius & Gregorius Theologus infulerunt. In Catalogo librorum Illustrissimi Principis Domini Jacobi Marmoretæ, quem inter Antiquitates Constantinopolitanas Supplemento Bibliothecæ Gesnerianæ inseruit Antonius Verderius, commemoratur Origenis Explicatio in Acta Apostolorum, & in Epistolas Pauli, de quibus nunc suo ordine agendum est.

F XV. Rufinus Heraclij impulsu viginti Tomos Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos Latinæ linguæ donandos suscepit: sed qua fide? sua nempe, hoc est pessima: nam totum opus jam interpolatum, & aliquot voluminibus decurtatum ad mediam fere partem sese contraxisse proficitur in Præfatione ad Heraclium. Injuriam Origeni illatam facilius deprehendes, si fragmenta quædam lucubrationis huius inserta Philocaliæ cum Rufiniana conversione consigas. Adversus hanc audaciam merito Erasmus excandescebat, & falso affectam Hieronymo operis huius interpretationem Rufino restituit. Cur Hieronymo tributa sit, Rufini actu & vafritie factum puto, qui ad declinandam facti invidiam (male quippe audiebat Origenis nomen) & in Hieronymum, à quo sæpe Origenissimi causa exagitata fuerat, refundendam, nomen suum non apposuit, modestia factum simulans, quod malis artibus actum erat: *Verum ego, inquit, qui plus conscientie meæ quam nomini*